

vel miserius potest? numquam vir erit, ut diu virum pati
possit? et cum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat,
non ne aetas quidem eripiet? Non vivunt contra naturam qui 8
hieme concupiscunt rosam fomentoque aquarum calentium
5 et locorum apta mutatione bruma liliū [florem vernalium]
exprimunt? Non vivunt contra naturam qui pomaria in
summis turribus serunt? quorum silvae in tectis domuum
ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus quo inprobe cacumina
egissent? Non vivunt contra naturam qui fundamenta
10 thermarum in mari iaciunt et delicate natare ipsi sibi non
videntur nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur?
Cum instituerunt omnia contra naturae consuetudinem 9
velle, novissime in totum ab illa desciscunt. 'Lucet: somni
tempus est. Quies est: nunc exerceamur, nunc gestemur,
15 nunc prandeamus. Iam lux propius accedit: tempus est
cenae. Non oportet id facere quod populus; res sordida est
trita ac vulgari via vivere. Dies publicus relinquatur: pro-
prium nobis ac peculiare mane fiat.' Isti vero mihi defun- 10
ctorum loco sunt; quantulum enim a funere absunt et quidem
20 acerbo qui ad faces et cereos vivunt?

Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus,
inter quos et Acilium Butam praetorium, cui post patri-